



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

XXXII. Fridericus II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

## XXXII. Fridericus Secundus

hoc nomine.

*Est hunc non modicus in iure sequens Fridericus.*

Fuit Iurisperitus, inquit M. S. Codex. Eam ob causam à Bruschio *eximie doctus & sapientissimus* audit: ortus ex nobili familia de Parsberg. Sedit annos nouem, Mortuus anno M. CC. XLVI. IV. Kalend. Iulij. Habuit hic Fridericus cum Gebehardo Comite Hirsbergensi controuersias quasdam de Iurisdictione in ciuitate Eychstettensi, & de quorundam locorum redditibus & annuis uectigalibus. Quæ lis anno Domini M. CC. XLV. XV. Kalendas Augusti per varios arbitros ad hanc causam cognoscendam delectos, sopita est; tam Episcopo, quam Comite id, quod arbitri definierant laudantibus, comprobantibus, & proprijs sigilli auctoritate confirmantibus. Interfuit Concilio Moguntino, quod anno Christi M. CC. XLIII. sub Sigefrido, III. seu Iuniore Archiepiscopo, celebratum est; ibique priuilegia à S. Bonifacio Ecclesie Eystettensi concessa fortiter defendit; inter cetera etiam illud de primo loco post Archiepiscopum, ante omnes alios Suffraganeos, Episcopis Eystettensibus debito. De qua controuersia plura in obseruationibus.

## XXXIII. Henricus hoc nomi-

ne Quartus.

*Henricus morum flos labe carens vitiorum.*

Dictus de Wirtemberg, sedit annos XII. minus quatuor mensibus. Abiit ad superos anno M. CC. LIX. III. Idus Maij. Transtulit hic Episcopus Reliquias S. Willibaldi anno M. CC. LVI. De qua translatione, præter

Canis  
 Supponit in uero pondere  
 Refellitur oblique bo